



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 6. An qui peccatum ut dubium confessus est, teneatur dubio
cessante, ut certum confiteri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

QVÆSTIO VI.

An qui peccatum, ut dubium confessus est, teneatur, dubio cessante, ut certum confiteri.

S. PRIMVS.

Authorum sententia.

DOCTORES omnes, qui difficultatem istam attigerunt, partem affirmativam tanquam certam, & sine controversia definirunt. Ita Thom. Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 10. num. 69. Luis de Torres de Pœnit. quæst. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6. Diana 3. part. tract. 4. resol. 91. & 4. part. tract. 3. resol. 5. in fine, Gaspar Hurtado disp. 9. de Pœnit. diff. 7. §. Observandam. Elcobar in Sum. tr. 7. exam. 4. cap. 2. num. 112. Averla quæst. 10. sect. 2. §. Quod si, Martinon. tom. 5. disp. 50. sect. 8. num. 9. Oviedo 1. 2. tract. 5. contro. 4. part. 7. num. 58. dicens esse omnino certum: & iterum Diana part. 10. tract. 16. resol. 79. Et alii communiter. Secus verò esset, si peccatum confessus fuisset ut certum, & post confessionem dubitaret, an commiserit, vel an fuisset mortale: quia iterum confiteri, ut dubium, solum deserviret ad se excusandum, & non est materia quam in confessione dare teneatur; quia negatio notitiæ certæ non est materia accusationis: sicut neque error commissus in priori confessione, cum in eo non intervenit peccatum. Idemque, propter eandem rationem, dicendum est de illo, qui dixisset in confessione plures actus peccaminosos, quam revera commiserat, ut bene docent Bonacina disp. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 2. punct. 3. num. 3. & Diana 2. part. tract. 3. Miscel. resol. 25. cum Megala, & aliis contra Hyrivarnem.

2. Quamvis autem hæc sententia asserens obligationem iterum confitendi, ut certum peccatum sub dubio antea confessum, sit aded inter Theologos certa, & licet communi praxi totius Ecclesiæ præceptum confessionis sic fuerit expositum, nihilominus tamen Cardin. de Lugo pluribus, & efficacibus rationibus contendit probare contrarium. Concluditque disp. 16. sect. 2. num. 92. * Aliquos viros doctos id probabile iudicasse, in quibus Rever. P. Nicolaus Richardus, Sacri Palatii Magister. * Addit tamen * se nolle in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. * Verum jam sine formidine amplectuntur Merolla, & Leander, illum citans disp. 5. quæst. 27. Martinus de S. Joseph. in Mœnit. confessor tom. 1. lib. 1. tract. 8. num. 9. Marcus Vivald. in Arca Theol. Moral. tom. 1. tract. de Pœnit. inquisit. 7. à num. 33. Caramuel in Theol. Moral. lib. 3. disp. 4. num. 539. & iterum in Theol. fund. fol. mibi 699. & putant probabilem Pellzarius in manuali Regularium, tom. 1. tract. 5. cap. 3. sect. 1. num. 56. Tamburin. in method. expedit. confession. lib. 2. cap. 1. §. 4. n. 24. Angel. Mat. Ver. celli in quæst. mor. tom. 1. tract. 3. quæst. 6. num. 22. & Fr. Joseph Rosell. Carthus. in tract. de deponendo conscientiam in dubio, cap. 19. num. 14. & tunc Fr. Sebastianus Sachus in Fastisculo Flor. lib. 1. tract. 4. cap. 3. de consc. dubia, num. 35. R. P. F. Christoph. Delgado illo tom. de Pœnit. cap. 14. dub. 10. Ferrantinus in disp. practici, q. 78. Tancredi in qq. moral. disp. 6. de Pœnit. q. 2. fol. 102. & Antonius Perez in manuscripto

de Pœnitentiæ. Et non improbabilem putat Patribus fer de Conscientia, lib. 4. cap. 18. n. 197. Addens, idem dicendum, etiam si dubitatio procedat circa peccatum peccati: quod negat Card. Lugo sect. 14. n. 187. & 190.

3. Inter alia fundamenta, quæ pro hac sententia congerit Lugo; Primum, & præcipuum est huiusmodi. Qui in confessione se accusavit, dicens * Perjuravi decies, plus minusve, * si postea recorderetur perjurasse duodecies, non tenetur iterum confiteri; quia illa verba Plus minusve, ea duo perjurata comprehendunt, ut docent P. Suarez, Vasquez, Coninch, Ledesma, Villalobos, Sorus, & alii, quæ citat Lugo supra sect. 2. n. 78. Sed, qui se accusavit, dicens: Perjurasse decies, plus minusve: non confitetur ut certum undecimum perjuratum, sed tantum ut dubium, imò decimum videtur etiam, ut dicitur dixisse per illam particulam minusve. Ergo qui confessus est peccatum ut dubium, non tenetur, dubio cessante, iterum ut certum confiteri. Fundamentum hoc tanti apud se pondere esse, inquit Lugo, ut infringi alter nequeat, nisi dicendo, eum, qui se accusavit perjurasse, decies, plus minusve, si postea recorderetur fuisse undecies, debere hoc, ut certum confiteri: ut asserat Gaspar Hurtado de Pœnit. disp. 9. diff. 5. Verum alter Hurtado ex Ordine Clericorum Minorum tom. 2. tract. 22. cap. 1. dub. 9. num. 237. argumentum Card. de Lugo irridet, dicens esse infirmum. Sed certè ipse omnino jejunus à difficultate discessit; ut legenti constat. Nullum enim neque apparet, (quamvis dicat sibi esse evidens) discrimen reddit inter unum, & alterum casum. Quæ R. P. Delgado illo ubi supra asserit de deestem defendere quotquot affirmant sufficientem, & tamen esse modum illum confitendi: decies, v. g. plus minusve peccatum commissi. * Quem serè omnes Doctores admittunt, supponentes esse obligationem confitendi peccata dubia, ac proinde numerum dubium; & tamen à numero postea, ut certo cogitatio subiungendo excusant. Ex quo ad peccatum singulariter dictum ut dubium, consequentiam urget, cum Lugo autumat.

4. Secundo probat Lugo ratione à priori: quia supra peccatum dubium cadit absolutio directæ. Sacertot enim absolvit ab illo directæ sub conditione implicita, si fuerit commissum: ad quid ergo est iterum ad iudicium deferendum? non ad absolutio-nem directam, quia jam pœnitens est ab illo absolutus, & quidem directè: ergo repugnat, quod obtinuerit absolutio-nem directam à tali peccato, & quod adhuc sit obligatus illud iterum ad iudicium deferre, pro absoluteione obtinenda.

5. Cæterum, si hæc fundamenta aliquid probant manifestè etiam evincunt, eum, qui de nullo peccato dubitans; sub conditione se accusaret, dicens: Decies falsum juravi, sed me accuso de omnibus aliis peccatis falsis, si forte alia commisi. Hanc, inquam, non teneri ultra confiteri, licet postea recorderetur, peccatis falsum jurasse. Quod mordicus negat Card. de Lugo supra num. 87. cum communi Theologorum sententia, & merito quidem. (quamvis non recitet concedere Vivald. apud Dianam 3. p. tract. 4. resol. 94. Quod ipse Diana, neque approbare, neque improbare ausus est; sed viris doctis iudicanda reliquit.) Sequela probatur: nam qui peccatum ut dubium confessus est; idè, adveniente notitia certa, non tenetur iterum, ut certum confiteri, ut ait Lugo, quia jam de illo sub conditione se accusaverat; quid enim aliud est peccatum (sub dubio confessum), quam se de illo accusare sub conditione, si fuerit

re commissum. Sed hoc idem contingit in casu, in quo de nullo peccato perjurii dubitans, se accusaret, ut supra: ergo non tenebitur iterum confiteri, licet postea recorderetur, vigesies, vel trigesies jurasse.

6. Urgetur primò retorquendo fundamentum Cardinalis. Ideo supra peccatum dubium cadit dispensatio absolutio, quia Sacerdos sub conditione implicita directè absolvit, ergo supra illa juramenta, de quibus penitens sub conditione se accusavit, cadet etiam directè absolutio, quia Sacerdos absolvit ab illis directè sub conditione, quod fuerint commissa; ad quid ergo iterum ad iudicium sunt deferenda? non ad absolutionem directam, quia jam penitens fuit ab illis directè absolutus, non ut aliam notitiam tribuat confessario, nam quævis notitia debet esse in ordine ad absolutionem, quæ jam non indiget, cum sit directè absolutus: ergo repugnat, quod obtinuerit absolutionem directam ab illis juramentis, & quod adhuc sit obligatus iterum ad iudicium deferre pro absolutione obtinenda. Respondet Lugo, eum, qui non dubitat, nullo modo se accusare de illis juramentis, sed non satisfacit: quia ipsemet penitens explicitè dicit, se accusare de illis, si forte commiserit. Se autem sub conditione accusare rectè comparatur, cum ignorantia invincibili peccati commissi juxta illud Psalmi: *Ab occultis meis munda me Domine.*

7. Urgetur secundò, quia eadem materia subjicitur clavibus ab eo, qui dubitat, & ab eo qui non dubitans se accusat sub conditione: in utroque enim casu potest contingere, ut nullum peccatum commiserit: solumque est discrimen, quod in dubitante præcedit dubium de peccato, secus in altero: materia autem, quæ subjicitur externè, non est suspensio actus, nec iudicium, sed objectum illius, scilicet peccatum, de quo sub conditione se accusat. Sed etiam si non dubitet, potest sub conditione peccatum clavibus subjicere: ergo utrobique eadem materia, & eodem modo subjicitur: ergo vel in utroque casu cadit directè absolutio supra illam, vel in neutro.

8. Urgetur tertio, si aliquis de excommunicatione non dubitans, sed ratione solius possibilitatis incursionis, peteret ad cautelam absolutionem illius, et si postea certò comperiret, prædicatam censuram incurrisse, non indigeret novâ absolutione, ut fatetur Lugo, quia nova illa notitia nil aliud esset, quam comperuisse, postquam fuisse conditionem, sub qua absolutio collata fuerat. Ergo similiter si quis se accusaret sub conditione de peccatis, de quibus nullo modo dubitaret; sed ratione solius possibilitatis commissi, non teneretur certior factus iterum confiteri, quia notitia illa de novo adveniens, nil aliud est, quam certò cognovisse positam fuisse conditionem, sub qua absolutio data fuerat.

9. Vidit difficultatem Card. de Lugo, & respondet, non esse paritatem à possibilitate censuræ ad possibilitatem peccati: quia Pontifex potest sub conditione tollere censuram, non præcedente accusatione; at verò Sacerdos nequit in Sacramento tollere directè peccata, etiam sub conditione, nisi ut iudex, & præcedente accusatione. Ille autem, qui solam proponit peccata, ut possibilis, nullo modo se accusat, ac proinde non subdit ea iudicio, & potestatis Sacerdotis: secus qui proponit, ut dubia: Sed contra primò; censura possibilis est materia absolutionis provenientis à potestate jurisdictionis, licet nulla præcedat dubitatio ex parte petentis absolutionem, quia ad hujus effectum sufficit teipsa incursum esse, licet de illa non dubitetur, sed possibilis tantum ag-

noscat. Ergo similiter peccatum possibile notum, & subiectum clavibus sub conditione, si forte fuerit commissum, erit de se materia sufficiens absolutionis provenientis à Sacerdote, ut iudice; licet ex parte penitentis nulla dubitatio præcedat, dummodò re ipsa commissum fuerit.

10. Contra secundò, quia de peccatis, de quibus penitens dubius non est, potest in oratione veniam petere sub conditione, si forte commiserit, ut diximus supra, juxta illud Psalmi 18. *Ab occultis meis munda me Domine;* quæ ad peccata penitus oblita, & de quibus ne dubitationem quidem aliquam Regius Vates habebat, referenda sunt, juxta communem hujus loci expositionem, & Trid. mentem sess. 14. c. 5. Ergo de peccatis, de quibus ne dubius quidem est, potest se accusare sub conditione, si forte commiserit. Ergo sicut à peccatis dubiis, de quibus conditionatè se accusavit, absolvitur directè conditionatè, ita & à peccatis occultis, de quibus conditionatè se accusaverit. Confirmatur, quia juxta doctrinam Card. de Lugo quæstione præcedenti adductam, eorum potest quis per confessionem in hoc tribunali veniam querere, quorum per contritionem posset; si Sacramentum Pœnitentiæ institutum non fuisset, sed tunc posset per confessionem in hoc tribunali veniam querere de peccatis penitus oblitis, de quibus nullam haberet dubitationem. Ergo & modò per confessionem sub conditione potest.

§. II.

Vera Sententia.

Propter hæc; cum communi Theologorum sententia tenendum est, omnia peccata sub dubio, vel sub conditione clavibus subiecta, debere iterum cessante dubio, ut certa confiteri. Ita Doctores citati num. 1. & alii communiter, quos sequitur Card. de Lugo *tomo de Sacram. Pœnit.* luci dato prius, quam ad purpuram fuisset assumptus *disp. 16. sect. 2.* Ubi postquam fundamenta pro contraria proposuit, concludit, dicens: * Hæc faciunt pro hæc parte, propter quæ aliqui viri docti probabile judicarunt, non teneri postea penitentem confiteri ut certum, quod prius sub dubio confessus fuerat, prout tunc reverà sibi erat. In quibus erat R. P. Nicolaus Ricardus sacri Palatii Magister, cum quo privatim resit hanc contuli, & ipse privatim etiam respondit, valdè probabile sibi videri non adesse talem obligationem; id quod alii etiam judicarunt. Cæterum, quia in re moralinon est facile recedendum à communi sensu, & quia nullum invenio Scripturam pro ea parte, & c. nolo ego in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. * Sic eminentissimus, tunc scientia, in cujus verbis ly *securiorem* non comparativè, sed adverbativè accipio, ut apud Div. Thomam, & ejus discipulos non rarò usurpari monet Vincentius Baronius in opere contra Amadæam, pluribus in locis: & argumenta, quæ pro contraria confecit, disputandi gratia, non proprium sensum aperiendi producta credam. Hanc igitur communem sententiam amplectitur Card. Lugo ubi supra, & expressius num. 78. dicens (magis quidem consequenter aliis) eum, qui se accusavit: decies plus minusve pejerasse, teneri postea duo alia perjuria confiteri, si certò noscat fuisse duodecim. Quod, ut jam monui, tueretur Gaspar Hurtado num. 3. citatus.

12. Aliorum rationibus omiſſis, ſic ego concluſionem probo. Pœnitens, ut conſtat ex Trid. tenetur ea peccata conſiteri, quibus Deum ſuum graviter offendiſſe meminerit, ſed qui peccata ſub dubio, vel ſub conditione conſeſſus eſt, non eſt conſeſſus peccata, quibus Deum ſuum graviter offendiſſe meminerit, ergo non ſatiſfecit obligationi præcepti. Hoc argumentum rem evincit, negata obligatione conſitendi peccata dubia, ea verò conſeſſa, inſtaurandum ſic: Peccatum reverà commiſſum ſequitur per ſe obligatio, ut tale conſitendi, à qua dubium ſubortum per accidens partim excuſat, ſicut oblivio in totum excuſaret: ergo ſicut ceſſante oblivione, rediret per ſe integra obligatio, ita & ceſſante dubio, in integrum reſtitueretur: ergo reviviſcit obligatio conſitendi peccatum reverà commiſſum ut tale; obligatio enim iſta non fuit extincta, ſed ſuſpenſa per dubium ſubſequentem: Ergo adveniente poſtea certa notitia, tenebitur iterum conſiteri (ſicut ab initio teneretur) ut directè nunc abſolvatur à peccatis abſolutè, à quibus directè conditionatè abſolutus fuerat. Sicut enim adverſarii cum communi ſententia benè aſſerunt, neminem ab onere conſeſſionis liberari, ex eo præciſè, quod à peccatis fuerit abſolutus: Ita ego ex eadem Theol. ſententia aſſero, neminem ab onere conſeſſionis eximi, ex eo præciſè, quod fuerit directè abſolutus, ſed ex eo quod directè abſolutus; Quod omnes docere teſentur, ne in Vivaldi opinionem omnibus ex oſam abire cogantur. Quibus ni fallor manifeſtè occurrunt rationi à priori, quam adducit Card. de Lugo.

13. Ex dictis mihi evidens eſt, verba illa, *plus minusve*, de more addita in conſeſſione, non addi ad ſubjiciendum clavibus peccatum aliquod peculiare, de quo pœnitens dubitat, an commiſerit. Nam idem demerit Doctores, qui defendunt, eum, qui ſe decies plus minusve perjuraſſe, conſeſſus eſt, non teneri, dubio ceſſante, undecimum perjurium conſiteri; mordicus ſimul defendunt, eum, qui peccatum, ut dubium conſeſſus eſt, teneri dubio ceſſante, iterum ut certum conſiteri. Ergo nullus Theologus accepit illa verba *plus minusve* in ſenſu, quem Cardin. de Lugo ſupponit. Nequit igitur ex communi Theologorum ſententia fundamentum deſumi ad ſingularem contra omnium opinionem firmandam. Qui enim recorderetur decies perjuraſſe, & dubitaret de aliquo alio perjurio in particulari, non ſufficienter ſe accuſaret dicens, decies plus minusve perjuraſſe, ſed teneretur juxta communem ſententiam dicere: decies perjuraſſe, & de alio perjurio dubito. (ſecus in negante obligationem conſitendi peccata dubia; in hac enim ſolum tenetur ad numerum mathematicè, vel moraliter ſibi certum) Unde ſit dubium deſignatum per illa verba, *plus minusve*, longè diverſum eſſe ab illo, quod vocare ſolemus peccatum dubium, vel ſub dubio conſeſſum.

14. Explicationis igitur gratia; duplex dubium diſtinguendum eſt. Primum circa peccatum aliquod in particulari, quod ita memoria occurrit, ut nequeat Pœnitens judicare determinatè, an commiſerit vel non. Secundum; circa numerum peccatorum in generali, eo quod nequeat ad certum numerum commiſſa reducere: quod rectè contingere poteſt, (ut experientia teſtatur) abſque dubio occurrente circa ſubſtantiam alicujus peccati in particulari. Hinc facile poſſunt conciliari Doctores, ſi dixerimus, peccatum dictum, ut dubium, cadente dubio ſuprà ſubſtantiam alicujus actus in particu-

lari, debere (juxta omnes Theologos antiquos) ſubſtante dubio, ut certum conſiteri: ſecus vero, & ſubſtantiam tantum cadat ſuprà numerum, eo quod nequeat pœnitens ad numerum mathematicè determinatum reducere. Ratio eſt, quia obligatio conſitendi numerum, magnam habet latitudinem, ut ſibi dicemus. Hæc namque obligatio, juxta communem Theologorum ſententiam, ſolum eſt ad determinatum numerum mathematicè, vel moraliter determinatum, quod ſi per illa verba *plus minusve*, ut ut conſeſſarius verosimiliter percipiat multitudine peccatorum, & ſtatim pœnitentis. Ut docentur Granad. in 3 p. contror. tract. 9. diſſicult. 10. n. 1. Fagun dez 2. præcepto Eccleſia lib. 3. cap. 4. n. 9. Diana 1. p. tract. 6. reſol. 39 & 4. p. tract. 14. reſol. 15. Et cum Cacerano, & Soto, M. Prado de Pœnit. q. 84. §. 7. dub. 2. de peccatis dubiis nu. 58 fol. 33. Et ſtatuit Card. Lugo de ſeſſ. 1. q. n. 587 & 588. Ubi expreſſè cognoviſſe dicitur inter dubitationem, quæ verſatur circa numerum, & quæ circa ſubſtantiam ſpeciem peccati in particulari. Cui conſentit Leander ſuprà. De hoc igitur dubio cadente tantum ſuprà numerum loquuntur Doctores, dum excuſant ab obligatione iterandæ conſeſſionis, eum, qui cum ſe accuſaſſe decies plus minusve perjuraſſe, recorderetur poſtè fuiſſe decies. Sic reſpondet M. F. Petrus de Tapian. Cœnæ tract. lib. 4. quaſt. 15. artic. 9. folio mihi 447. quæſt. quæ poſt hæc ſcripta gratulabundus invenit. Unde ea plura doctrina inefficax ſunt argumentum ad probandum, peccatum dictum ut dubium, cadente dubio ſuprà ſubſtantiam actus, non debere, illo ceſſante, ut certum conſiteri.

§. III.

Dubium occurrens.

15. Rogabis: Quantum ſe extendunt illa verba *plus minusve*? Aliqui putant tantum extendi ad quartam partem ſummæ, cui adſciuntur, v. g. dicis: Octo plus minusve, veriſicatur in ſec. & in decem. Alii addunt, ſi quis ſe accuſaverit; decem plus minusve pejerat; ſi poſtè recorderetur de alio tribus, vel quatuor vicibus, non teneri illas conſiteri, ita cum Filucio, & aliis Diana 3. part. tract. 4. reſol. 34. & 4. part. tract. 4. reſol. 204. Ubi cum Navarrete dicitur, quod ſi quis conſiteretur centum plus minusve, non amplius teneretur conſiteri, licet poſtè recorderetur, fuiſſe centum, & decem. Ego verò cum Vazquez apud Dianam ſuprà, arbitrio prudentis reliquendum cenſeo, juxta peccatorum ſummam, cui illa verba *plus minusve*, ſuperaddantur: & ita videtur ſentire M. Texeda com. 1. lib. 2. tract. 3. contror. 10. Ubi indiſtinctè natam aſſerit. * Si poſtè conſeſſione ſiſta, recorderetur illorum peccatorum, quæ conſeſſus eſt, magis eſſe numerum, non teneri iterum conſiteri, quia in conſeſſo cum ſufficienti examine factis, moraliſter loquendo, comprehendit, & claudit totum peccatorum numerum, & illa particula à pœnitente adſeſſa æquivaleret omnibus aliis, & per illam conſeſſarius ſatis devenit in cognitionem ſtatûs peccatorum.

16. Imò addit Delgado ubi ſup. cap. 17. dub. 34. dem prorsus dicendum, licet numerum certum, & determinatum conſeſſus fuiſſet. v. g. Decies perjuraſſe non addendo particulam: plus minusve. Quia * ſimplicitè, inquit, & interpretativè videtur includiſſe (omniſe)

numerus in quavis confessione: * sed non acquiesco, quia determinatio illum excludit. Et multo minus opinioni Vivaldi in *Candelabro Aureo, de confessione, tract. 7. §. 8. Sed dixi, fol. 106.* asserentis, eum qui confessus fuit, centies plus minusve jurasse, verè satisfecisse, nec teneri iterum confiteri, licet postea recorderetur fuisse 200. Quod putat etiam probabile Verri-cell: tom. 1. *quæst. mor. tract. 5. q. 6. nu. 23.* Verùm hæc opinio omnino mihi improbabilis est, imò, & quam sequitur ipse Verricelli *tract. 1. quæst. 8.* dicens illa verba plus minusve addere, quoad confessionem, medietatem supra summam expressam, ita ut qui confessus est centum plus minusve, non teneatur iterum confiteri, licet reperiat fuisse centum, & quinquaginta. Sed hæc nullam, ut dixi, probabilitatis speciem habent, quia ex communi modo loquendi, particula adjecta longè minorem summam significat, idèque major ille numerus non clauditur mortaliter in illa confessione.

QVÆSTIO VII.

Utrum sit obligatio confitendi verba in confessione oblita?

§. PRIMUS.

Singularis sententia refertur, & rejicitur.

Rem hanc in dubium revocant, paucis ab hinc annis, recentiores nonnulli, adulterantes Concilii Trident. Sanctiones, & Theologorum sententias, Quam propterea in disputationem adducere opere pretium duxi, ut Recentiorum fundamentis exploratis, veritas, me iudice, ad fidem pertinens omnino firma, & inconcussa maneat.

1. Igitur doctissimus Leander à Murcia ex Capuccinorum Ordine, apud quem primò in controversiam remissam deductam & typis datam invenio, lib. 2. *disquis. moral. in 1. 2. D. Thom. disp. 4. resol. 25.* nonnullos suppresso nomine refert asserentes, neminem teneri confiteri peccata lethalia, quæ ex inadvertentia, seu oblivione in confessione Sacramentali omittuntur. Cujus delicti fundamenta per extensum ipse proponit, & argumenta communis sententiæ in contrarium dissolvit: & quamvis singularem recentiorum ipse non sequatur; sic illam recitat nu. 9. * De hac opinione vidi ego, dum essem Neapoli tractatum integrum à quodam docto Religioso nostri Ordinis; cui subscripserunt plures quam dodecim viri doctissimi ejusdem Civitatis, & Regni Neapolitani, quorum subscriptiones ego vidi, & postea dum Romæ essem, alius vir doctus de ea me consuluit, ipsamque tanquam verissimam tuebatur. Sic refert Leander à Murcia: Sed tamen ipse, & meritò contra concludit, dicens: * Sed his non obstantibus, hæc opinio nullatenus suscipiendi, aut defendi potest in praxi; tum quia nova, & à nemine hucusque in licent edita, tum quia contrarium tanquam certum docet communis opinio; tum quia eadem communis tutior omnino est; & totius Ecclesiæ praxi confirmata: tum quia hæc opinio ex aliqua parte (nempe quoad confessionem obliti ante communionem præmittendam) expungi mandata est à sancta Inquisitione, cu-

jus iudicio in rebus fidei, & morum standum est contrariis non obstantibus quibuscumque. * Hactenus Leander. Apud quem nollem ad eò benignam censuram invenisse, cum non solum improbabilis sit, & ut minimum scandalosa (& novissime, ut talis damnata à Sanctissimo nostro Alexandro VII. die 24. Septemb. anno Domini 1655.) sed, ut ego opinor, erronea.

3. Moveor communi Catholicorum sensu in Trident. expresso *sess. 14. cap. 5.* ubi ad eò apertis verbis proponitur, ut mirum sit in mentem viri docti contrarium venire potuisse. Expende Concilii verba definitivæ. * Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure Divino necessariam esse. * Et infra. * Cum universi mortalia, etiam cogitationis, homines ita filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione à Deo querere. * Et inferius *Can. 8.* * Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut traditionem humanam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus fideles, anathema sit. * Hactenus in Tridentino.

4. Ex quibus sic argumentor. Omnes Christi fideles tenentur omnia mortalia commissa confiteri, sed qui in aliis confessionibus oblitis est peccati, cujus modò memoriam habet, non est confessus omnia mortalia commissa, ergò tenetur ea, quæ non est confessus, cum eorum memoriam habeat, confiteri. Hæc est conclusio Theologica, ex majori de fide, & ex minori lumine naturæ nota. Est ergò certum teneri confiteri, non minus quam eum, qui debens centum, sed ex oblivione quinquaginta tantum solvit; teneri postea memoriam ad alia quinquaginta solvenda. Premo sic: de fide est, omnes Christi fideles teneri ad omnium peccatorum confessionem, qualem Ecclesia servat. * Sed confessio omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, est, ut oblita, cum in memoriam venerint, omnes confiteantur, ergò de fide est, oblita confitenda, cum in memoriam venerint, Res ad eò clara est, & fidei principis innixa; imò & in definitis expressa, ut me iudice, à nullo verè Catholico in dubium verti possit.

§. II.

Enumerantur contraria sententiæ fundamenta.

Sed, ut dogma istud magis innotescat, diluam sophismata, quibus recentiores, à Leandro memorati, in illum errorem ducti fuerunt. Primum efformant ex verbis Tridentini *sess. 14. citata cap. 5.* asserentis à peccatis nihil aliud exigi, quam * omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenserunt. * Quod iterum Concilium exprimit ibidem, dum ait. * Constat nil aliud à peccatis exigi, quam ut postquam quisque diligentius sese excusserit, & conscientie suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Ex quibus sic adversarii male inferunt: Ergò Conciliū docet, peccantes non debere confiteri illa peccata, quorum post diligentem sui excussionem, conscientiam non habent, seu quibus non meminerint